

tiones Episcoporum super statu Diocesum, quoties occasio verificatur, solet inculcare ut præfatæ dispositioni pareant ea Capitula, quæ propriis constitutionibus carent. Potest insuper, uti diximus, Capitulum decreta condere, quæ internum regimen respiciunt, vel quæ moderantur servitium chori et altaris; at in his condendis non potest Capitulum lædere jus tertii quæsitum uti supra demonstravimus, nec obviare potest juri communi, aut Constitutionibus suis a Superiore confirmatis.

10. Ultimo loco quæritur an Canonici in electionibus sive ad aliquod officium in Capitulo sive ad aliquam præbendam seu Cappellaniam cujus collatio ad Capitulum pertinet, suffragium dare possint alicui consanguineo.

Responsio datur in lege *Illud* et in lege *Item Dig. Quod cujusque Universitatis* ubi Juris consultus hæc habet: 'Prodest suffragium patris filio, et filii patri, item eorum, qui in ejusdem patris potestate sunt: quasi Decurio enim illud dedit suffragium, non quasi domestica persona: in iis quippe, quæ juris publici sunt, præsumitur, quod magis ad bonum publicum moveatur, quam ex alia causa particulari affectionis'. Huic legi adhæsit S. Congregatio Concilii in quæstionibus sibi propositis. Sic ex. gr. in causa *Pisana diei 19. Sept. 1713*, cum ad præbendam vacantem a Capitulo conferendam concurreret clericus consanguineus cujusdam Canonici Del Bono, quæsitum fuit a S. Congregatione 'an Canonici del Bono ab electione de qua agitur rejiciendus sit a ferendo suffragio in casu'. Sacra autem Congregatio respondit 'Negative'. Pariter in causa *Turetina diei 1. Martii 1834* proposito dubio 'An et quomodo jure suffragii gaudere debeant Canonici intra tertium gradum propinqui concurrentium ad Cappellaniam in casu', responsum fuit, 'Affirmative per orta secreta'. Idem tandem fuit sensus resolutionis ejusdem S. Congregationis in causa definita *die 28. Julii 1865*. (Acta S. Sedis Vol. I. pag. 162.)

At hæc theoria valet vi juris communis, quod non prohibet quominus ex Constitutionibus particularibus vel ex consuetudine legitime præscripta Canonici arceantur a suffragio edendo, quoties agitur de electione vel de negotio aliquo personæ vinculo sanguinis vel affinitatis sibi conjunctæ.

TITULUS XII.

Ut ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur.

1. Rubrica tituli cum sensum habeat absolutum et præceptivum veram legem constituit. Consonat dispositio tridentina in *c. 5. sess. 25. de Ref.* ubi hæc statuit Concilium: 'Ratio postulat ut illis, quæ bene constituta sunt contrariis ordinationibus non detrahatur. Quando igitur ex beneficiorum quorumcumque erectione seu fundatione, aut aliis constitutionibus qualitates aliquæ requiruntur, seu certa onera illis sunt injuncta, in beneficiorum collatione seu in quacumque alia dispositione eis non derogetur'. Hæc in genere præmittenda erant.

2. Pluribus autem modis beneficia diminutionem possunt pati. De aliquibus jam sumus locuti in tit. 5^o. nunc de tribus pertractandum remanet. Primus modus est, si manentibus pro Clerico iisdem juribus, et redditibus beneficii, nova quædam onera imponantur ex. gr. si beneficii possessori instituendo obligatio imponatur legendi scripturam in Ecclesia, vel Missam celebrandi diebus et horis statutis. Inspecto jure communi et ordinaria œconomia, Episcopus, aut alius inferior quilibet collator non possunt nova onera imponere beneficio vacanti et futuro ejus successori. Hæc dispositio juris insinuatur in intentione canonum, et præsertim in *c. un. h. t.* Traditur autem in *c. 8. De consuet.* et in *c. 7. De Censibus*, in quo Conc. Lateran. III. decernit 'ne ab Abbatibus, Episcopis, vel aliis prælatis novi census imponantur Ecclesiis nec veteres augeantur, sed libertatem quam sibi majores conservare desiderant minoribus suis bona voluntate conservent. Si quis vero aliter fecerit, irritum quod gerit habeatur'. Fagnanus autem com. ad *c. XI. De præb. n. 3.* refert S. Congregationem Concilii respondisse, non posse Episcopum novum onus beneficiis imponere in eorum collatione.

3. In specie autem habemus plures resolutiones ejusdem S. Congregationis in ordine ad onus celebrationis Missarum. Et primo quidem in *Pisavensi 6. Aprilis 1647* (lib. *Decret. 18. pag. 231.*) S. Congregatio respondit: oppidensem oratorem obtinentem beneficium simplex in Ecclesia cathedrali pisavensi cum onere celebrandi Missas duobus diebus cujuslibet hebdomadæ, et aliquibus diebus festis non posse cogi ab Episcopo pisavensi ibidem celebrare vel celebrare facere certis diebus, et horis per eundem Epis-

copum pisaurensem præscriptis; sed tantummodo posse illum hortari ut celebret vel celebrare faciat'. Consonat resolutio in alia *Pisaurensi diei 17. Maji ann. 1633. (Decret. lib. 19. pag. 243.)* ubi S. Congregatio respondit 'Episcopum non posse cogere hujusmodi Cappellanos ut missas celebrent, vel celebrare faciant certis diebus, et horis'. In *Florentina diei 18. Aprilis 1863.* eandem dedit S. Congregatio responsionem, quam dederat in 1^a *Pisaurensi.* — Eadem est resolutio in causa proposita *die 9. Decembris ann. 1865.* Concludi ergo potest ex lege generali, si in aliqua foundatione beneficii, vel Cappellaniæ non determinantur dies, et horæ quibus missa celebrari debeat, dum confertur beneficium, vel cappellania, non posse novo possessori imponi onus celebrationis perficiendæ certis diebus et horis, idest onus, quod in foundatione statutum non fuerat.

4. Attamen obstare videtur *c. 11. De præb.* in quo cum ageretur de onere Missæ quotidianæ imposito a canonicis Clerico cum eidem conferrent præbendam, Pontifex in genere approbat collationem hujusmodi cum onere adjecto. Ut hanc difficultatem solvant, nonnulli dicunt, ideo validam fuisse hanc oneris impositionem, quia eam probavit Summus Pontifex. At hæc responsio non arridet, quia Pontifex in casu agebat partes judicis, qui decernere debebat utrum agendi ratio Capituli legitima fuisset vel non. Potius cum aliis DD. dicendum est, regulam generalem esse, collatorem non posse novum onus imponere; at, necessitate cogente, onus hujusmodi imponere posse. Cum vero caput 11. citatum novis dispositionibus non fuerit abrogatum; hinc doctores et interpretes ajunt, ob necessitatem urgentem posse Episcopum beneficio vacanti honestum onus imponere, et a fortiori posse modificationem inducere in oneribus jam existentibus ut eorundem implementum utilius Ecclesiæ resultet. Conf. Pasqual. *De Sacrif. Missæ q. 844. n. 11.* et Pitonius *de Controv. Patron. alleg. 100. n. 29.*

5. Secundus modus quo beneficia pati possunt diminutionem est, si in collatione solutio aliqua seu præstatio exigatur pro una vice vel ad aliquod tempus. Hæc pariter diminutio a canonicis prohibita est ceu patet ex capp. 9. *De off. Ord. in 6^o.* et 40. *De elect. in 6^o.* Interdicitur etiam a Trid. in *c. 14. sess. 24. De Ref.* Ex qua dispositione Concilii patet prohiberi reservationes nec non promissiones, et compensationes in ipsa collatione, institutione, præsentatione etc., quæ juxta statuta capitularia vel consuetudinem fiunt favore capituli in quo novus canonicus vel bene-

ficiatus recipitur. Verba Conc. hæc sunt 'In pluribus Ecclesiis tam cathedralibus quam collegiatis, et parochialibus ex earum constitutionibus, aut ex prava consuetudine observari intelligitur, ut in electione, præsentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione vel alia provisione sive admissione ad possessionem alicujus cathedralis Ecclesiæ vel beneficii, canonicatum, aut præbendarum, vel partem proventuum, seu ad distributiones quotidianas certæ conditiones seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones, compensationes, aut etiam quæ in aliquibus ecclesiis dicuntur turnorum lucra interponantur. Hæc cum S. Synodus detestetur mandat Episcopis, ut, quæcumque hujusmodi in usus pios non convertuntur aut ingressos eos qui simoniacæ labis aut sordidæ avaritiæ suspicionem habent, fieri non permittant'. Concordat Constit. S. Pii V. *Durum nimis diei 31. Maji 1570.*

6. At ex concordantiis jurium præsertim in cit. loco Tridentini et *c. un. h. t. § ult.* inferunt auctores, posse Episcopum exigere partem fructuum beneficii vacantis in actu collationis, interveniente tamen necessitate, et ita, ut reservatio duret solummodo quoad usque necessitas perseveret. Causa autem legitima haberetur, si solvenda essent debita contracta nomine Ecclesiæ, vel si reparanda esset fabrica Ecclesiæ Cathedralis vel ejus Ecclesiæ in qua erectum est beneficium.

7. Conditiones vero sunt 1^o. ut congrua portio ad honestam vitæ sustentationem relinquatur Clerico instituendo in beneficium. 2^o. Ut consensus accedat eorum qui in beneficium interesse habent; quemadmodum essent electores, vel patroni. 3^o. Ut reservatio fructuum fiat in collatione, sed nullo interveniente pacto vel conventionem cum clerico cui beneficium confertur. Scilicet reservatio facienda est absolute absque ullo respectu ad personam clerici cui beneficium confertur; secus enim periculum esse potest simoniæ.

8. Quæritur quid dicendum sit de annatis vel mediis annatis, quæ exiguntur ab Apostolica Sede in collatione beneficiorum? Viderentur et hæc comprehendere sub lege explicata qua interdictum est ne aliquid recipiatur in collatione beneficiorum. Ipsæ enim solvuntur Camera Apostolicæ in ipsa expeditione bullarum, ita ut non expediantur litteræ Apostolicæ collationis et per consequens collatio vires non obtineat nisi fiat earundem annatarum solutio. Quare cum solutio annatarum induat indolem conditionis sine qua non, potest suspicionem gignere intentionis simoniacæ. At anna-

tarum solutio optime defenditur ab omni contraria animadversione. Nam nomine annatarum veniunt fructus primi anni quos ex beneficiis Sedis Apostolicæ reservatis percipit Camera Apostolica in expeditione Bullæ collationis beneficii. Antiquus est annatarum usus, et earum origo refertur ad Concilium Viennense anni 1311. De hisce sermo est in *extrav. 2. Suscepti Joannis XXII. De elect.* et in Concilio Constant. *sess. 40. diei 30. Octobris 1417.* Quod vero annatarum solutio non comprehendatur sub exposita prohibitione et quod ab omni labe simoniaca immunis est, innotescit si pauca considerentur. Sciendum est prohibitionem ut nihil exigatur in collatione beneficiorum inductam non fuisse præcise et absolute quia aliquid recipere in collatione beneficiorum sit simoniacum: nam si nullo interveniente pacto et ex legitima causa hoc aliquid exigatur, exactio prorsus licita esset ex *disp. cap. un. h. t. circa finem.* Jamvero hæc est sincera notio annatarum ut nempe ex legitima causa absque pacto aliquid exigatur. Nam revera primitus inductum fuit ut clerici beneficium adepti, vel per biennium vel per annum partem fructuum beneficii sui Romanæ Sedi impenderent ut ope horum fructuum Romanus Pontifex suæ honestæ sustentationi nec non S. R. E. Cardinalium decori consuleret, et ex hisce fructibus erueret unde necessitatibus Ecclesiarum et emergentibus eventibus præsertim bellorum cruciatorum provideret. In hac re Rom. Pontificem usum fuisse jure suo nemo est, qui non videat: si quidem per hanc dispositionem determinata fuit ratio qua clerici ex bonis ecclesiasticis concurrerent ut satisfacerent exigentiis universalis Ecclesiæ. Designati hinc fuerunt in variis regionibus Apostolici Commissarii qui a Clericis noviter de beneficio provisus annatas exigerent. Sed cum abusus frequenter in hac exactione obrepsissent tum ex parte Clericorum qui assecuti beneficia onus solutionis Sedi Apostolicæ non adimplebant, tum ex parte quorundam Commissariorum qui nimium forsan clericos vexabant, suumque potius quam Sedis Apostolicæ negotium curabant, Bonifacius IX. statuit legem ut annatæ anticipata solutione solverentur scilicet computatione facta fructuum beneficii in ipsa collatione, æqua portio fructuum Camerae Apostolicæ solveretur. Ex qua notione patet annatas non haberi loco pretii concessionis beneficii, sed esse tributum quoddam ex justo titulo quod solvitur primæ Sedi, solvi autem in ipsa collatione beneficii ad evitandos abusus qui verificarentur si alius esset modus solutionis.

9. Animadvertimus hodie in collationibus beneficiorum exiguum esse prorsus quantitatem pecuniæ quæ titulo annatæ solvitur S. Sedi. Tandem Benedictus XIII. in Const. *Pius et Misericors IV. idus Maji 1725* quæque refertur in appendice Synodi Romanæ ejusdem anni præcipit, ut Episcopi in collationibus beneficiorum imponant clericis provisus annatas applicandas fabricæ Ecclesiæ cathedralis.

10. Tertius modus quo beneficium vacans diminutionem patitur locum habet cum portio fructuum separatur dispositione non precaria sed stabili, et constanti ita ut, manentibus integris privilegiis, et obligationibus, beneficium quoad fructus in plura dividi videatur. Separatio autem hujusmodi portionis fructuum vel efficitur per dismembrationem beneficii vel per pensionem alicui concessam supra beneficium ab altero possessum. De dismembratione locuti sumus in tit. 5. Nunc aliquid dicendum superest de Pensione.

11. Pensio est 'jus percipiendi certam portionem fructuum ex alieno beneficio auctoritate legitima, et justa interveniente causa alicui concessum?'

12. Cum sit jus percipiendi fructus de bonis Ecclesiasticis sequitur id posse lege communi concedi clericis solummodo, et laicos id assequi ex dispositione juris communis non posse. Quoad ætatem requisitam in clerico ut pensionem assequi possit nihil est determinatum in jure. Quare non requiritur ætas annorum 14 de qua in Tridentino pro assequendis beneficiis. Beneficium enim non est, sed requiritur ætas septennio major. Monacelli *tom. 2. tit. 14. Form. 7. n. 3.* cum aliis, et refert *decr. S. Congr. Conc. in causa Nullius 24. Martii 1627.*

13. Ex beneficio alieno constituitur, hinc revera titulum beneficii non constituit, scilicet beneficium non est. Attamen quia pensio est delibatio ecclesiasticæ substantiæ seu fructuum bonorum ecclesiasticorum in aliquibus æquiparatur beneficio. Nempe pensionarius 1^o. tenetur quotidianam persolvere recitationem officii parvi B. M. V. nisi ex alio titulo teneatur ad recitandum divinum officium. *Constit. 135. S. Pii V. In Proximo.* 2^o. Tenetur habitum, et tonsuram deferre si pensiones simul sumptæ excedant 60 ducata auri de Camera et actu eam summam percipiat, vel saltem per eum steterit quominus eam percipiat. Quod si hic pensionarius habitum clericalem dimiserit tanto tempore, quo ab omnibus reputetur uti

laicus, eo ipso absque ulla monitione, citatione, aut iudicis decreto, vel ministerio pensionem amittit idest pensio ipsa extinguitur. *Const. Pastoralis Sixti V. Conf. de Luca de Pensionibus disc. 48. n. 7.*

14. Pensio dicitur separatio fructuum ad tempus, quia non separantur fructus a beneficio irrevocabiliter, sed ad certum tempus. Nihilominus pensio alia dicitur temporanea, alia perpetua. Temporanea est quæ imponitur potius personæ beneficium possidenti quam ipsi beneficio. Hinc pensio hujusmodi non gravat successores in beneficio.

15. Perpetua vero pensio ea est, quæ beneficio imponitur ita ut donec vivat pensionarius eidem semper sit solvenda pensio sive beneficium semper ab uno possideatur, sive alteri conferatur. Hinc pensio perpetua est quæ datur ad vitam pensionarii.

16. Quæstio proponitur quinam possit pensiones in beneficiis constituere? Legitima obveniente causa, Romanus Pontifex imponere potest pensiones tum temporaneas tum perpetuas, quippe qui in jure censetur habere plenariam de beneficiis ecclesiasticis dispositionem *c. 2. de Præb. in 6º. et Clem. 1. § ult. Ut lite pendente.*

17. Si vero sermo sit de aliis ordinariis collatoribus certum est apud omnes non posse ab iis imponi pensiones perpetuas; nam cum pensio perpetua ipsum afficiat beneficium penes quemcumque possessorem ea considerari potest ceu onus reale beneficii, seu diminutio beneficii ipsius, ac proinde pensio perpetua comprehenditur sub prohibitione ut beneficia ecclesiastica sine diminutione conferantur. *Conf. c. 21. de Præb.*

18. Quod si sermo sit de temporanea pensione seu ad vitam clerici possidentis beneficium, quamvis in genere dici posset concessionem hujus pensionis subjici prohibitioni tituli præsentis, tamen communior Doctorum sententia est, ut Episcopus et alius collator ordinarius Papa inferior possint in favorem alterius ex justa causa pensionem temporaneam constituere super fructibus beneficii alicujus. Insinuatur hæc dispositio in *c. 21. de Præb.* in quo reprobatur expresse solum pensio perpetua et toleratur temporanea collata ab ordinario. Solent vero, si ex commendatione Episcopi fiat postulatio, pensiones temporaneæ confirmari a Sede Apostolica, ut perpetuæ fiant. Postulatio hæc exhibetur Datarie Apostolicæ.

19. Ex hisce explicatis sequitur non posse auctoritate Episcopi aut alterius collatoris Pontifice inferioris admitti resignationes beneficiorum cum reservatione pensionis in favorem resignantis supra beneficium, cui renunciat. Justa tamen obveniente causa, potest Episcopus in favorem Clerici resignantis constituere pensiones temporaneas seu duraturas ad vitam clerici, cui resignatum beneficium confert. *arg. c. 21. De præb.*

20. Si quærat quibusnam beneficiis possint imponi pensiones, respondemus jure Tridentino in *sess. 24. c. 13.* ab onere pensionis eximi Cathedrales Ecclesias idest Episcopatus quorum reditus summam ducatorum mille, et beneficia curata, quorum reditus annui summam ducatorum centum secundum verum annum valorem non excedunt. At accessit decretum Innoc. XII. *11. Nov. 1692.* publicatum per organum Datarie, confirmatum deinde in *Const. Bened. XIV. Quanta, 15. Sept. 1724* quo prohibitum fuit ne ordinarii aut alii collatores Ecclesiarum Parochialium etiam juris patronatus laicalis nullo modo prædictis Ecclesiis pensiones imponerent, et ne earundem resignationes admitterent cum reservatione pensionis favore cujuscumque et quovis titulo etiam aliorum.

De translatione pensionum.

21. Translatio pensionis nihil aliud est nisi concessio pensionis vel in toto, vel in parte facta a clerico pensionario favore alterius clerici. Facultas transferendi pensiones tribui potest a solo Romano Pontifice ad exclusionem inferiorum collatorum, ceu tenet communis Doctorum sententia. Ratio est, quia nemo potest disponere de jure percipiendi fructus bonorum Ecclesiasticorum, qui ipsi concessi fuerint ad honestam sustentationem quoadusque vixerit. Unde pensionis assecutio de sui natura constituit jus personale, quod personam ipsam clerici pensionarii non egreditur.

22. Antiquitus commune erat collegiis, et officialibus Romanæ Curie privilegium transferendi pensiones. At Urbanus VIII. in *Const. Cum S. R. E. Cardinales, kal. Aprilis 1631* abolevit privilegium hujusmodi quoad omnes pensiones, exceptis solummodo S. R. E. Cardinalibus pro quibus illud sartum, tectumque servari voluit. Per Constitutionem vero *'Inter gravissimas' 8. Sept. 1636.* idem Pontifex etiam Cardinalibus illud privilegium abstulit. Verum Innocentius XI. in *Const. 'Circumspecta' 7. Febr. 1678* revocavit